



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

IV. Dissoluuntur argumenta quædam pro duabus sententiis de essentia
intellectionis capite præcedenti confutatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

quam reperiri potest sine habitu: qui ergo fieri potest, ut vniuersim loquendo in præfata specie consistat:

30 Ad hæc species impressa visui, verbi gratia, nihil aliud fortassis est, quam imago vniuoca obiecti, in pupilla refracta, ibique a nobis conspecta: de quo alibi: sed eiusmodi imago non est visio: ergo nec species. Minor perspicua est: quia eadem imago potest existere in quouis alio perspicuo terminato, v.g. in speculo: atqui visio connaturaliter in speculo existere non potest: aliàs speculum videret. Quod si respondeas videre non posse per visionem sibi inhaerentem, quia est subiectum eius denominationis incapax; in contrarium illud est, quod uti albedo, exempli gratia, connaturaliter constitui nequit in subiecto incapaci ad recipiendam denominationem albi, ita similiter ex natura rei impossibile sit, ut visio collocetur existatue in subiecto incapaci, & inepto ad videndum: nec video sane, quæ hic asserti possit ratio disparitatis.

31 Denique quidquid sit, an species intellectualis, aut sensus illa sit, quam supra supposuimus, certè qualiscunque sit veralibet, id mihi exploratum est, nec sensationem, nec intellectionem dari vnquam de facto, quin à sensu, aut intellectu producantur, quod contra Gotofredum & alios in hunc modum suadeo: sæpè contingit ut quis speciem obiecti recipiat in oculis, quin obiectum videat, ut si aliud agat, ac valde diuertatur: in sola ergo specie recepta visio de facto non consistit, sed in alia forma subsecuta ad speciem visualem. Quomodo item amor esse potest liber, nisi efficiatur à voluntate? cum omnis libertas posita sit in agendo: ad exemplum ergo amoris debet cognitio ab intellectu effici, & non solum in eo recipi. Præsertim cum Concilium Tridentinum sessione 6. can. 4. ex vna parte definiat, hominem non se habere merè passiuè respectu eorum actuum, quibus disponitur ad iustificationem; & ex alia parte connumeret actum credendi inter dispositiones ad iustificationem necessarias, ut patet ex canone tertio antecedenti: quod si respectu fidei supernaturalis, actusue credendi, licet oportet ad salutem, non se habet merè passiuè noster intellectus, sed actiuè, non video, cur aliter se habere debeat intuitu reliquorum actuum suorum.

CAPVT IV.

Dissoluntur argumenta quedam, pro duabus sententiis de essentia intellectionis, capite præcedenti confutatis.

32 **A**Rgues primò pro priori earum sententiarum. Cognitio, siue intellectio creaturarum in Deo, tamen si sit actus secundus respectu diuini intellectus, ab eo virtualiter distinctus, non est omnino intrinseca, & essentialis Deo, sed per creaturas, quas cognoscit, aliquo modo constituitur; aliàs si eiusmodi cognitio esset ei omnino intrinseca, & identificata, fieret sanè ut Deo creaturam aliquam absolute futuram non cognoscenti, quia futura non esset, eo ipso deficeret aliquid prædicatum omnino intrinsecum & essentialiale quod posset habere: haud sine manifesta mutatione, ac vicissitudinis obumbratione: pari ergo ratione cognitio creata, licet sit actus secundus intellectus creati ab eo realiter distinctus, siue, quod perinde, aliqua eius qualitas, tamen per ipsum obiectum constitueretur intrinsecè, & essentialiter in ratione cognitionis. Confirmatur, & declaratur. Cogni-

tio Dei vel perfectior, sic simplicior est cognitione creata: at cognitio Dei, quatenus formaliter cognitio, coalescit essentialiter ex actu Deo immanenti, siue intrinsecò, atque ex obiecto ei extrinsecò: à fortiori ergo cognitio creata in ratione talis non solum in qualitate intellectui inhaerente, verumetiam in eius obiecto consistit.

33 Respondeo in primis longè verius, ac probabilius esse, quod cognitio diuina, ut talis, ex actu diuini intellectus, & eius obiecto creato haud possit intrinsecè coalescere, aut constitui: siquidem, prius tempore quam existat obiectum, eius existentiam Deus cognoscit verè, & propriè: quod tamen fieri non posset, si cognitio Dei existentiam illam intrinsecè includeret. Deinde si cognitio Dei est prædicatum aliquod ei non omnino intrinsecum, sed ex parte extrinsecum (quod satis ambiguum est, & inter scholasticos Theologos controuersum) ideo est, quia cognitio diuina Deo adesse vel abesse potest, quin propterea prædicatum vllum entitatum ei possit adesse, vel abesse, quæ est eius summa, ac perfectissima immutabilitas: hæc autem ratio non procedit in intellectu creato, quippe qui mutabilis est, ac proinde cognitionem contingentem sibi omnino intrinsecam, atque ab obiecto suo adæquatè, distinctam potest sortiri.

34 Arguunt secundò pro eadem sententia eius assertores. Imago Cæsaris, v.g. in membrana aut papyro descripta, tamen si suis coloribus, suisque lineis Cæsarem representet, cæterum non iis solis eum representat, exprimitur ad viuum, sed potius in ratione imaginis eum representantis, per ipsius etiam Cæsaris lineamenta intrinsecè, & essentialiter constituitur: cuius signum est; quia si Cæsar non ea lineamenta, sed alia longè dissimilia haberet; sanè imago illa non Cæsarem exprimeret, sed alium hominem iis præditum lineamentis. Simili ergo ratione, quamuis aliqua imago in intellectu producta, & recepta obiectum intelligat, representetque, haud tamen per seipsam solam id faciet, sed partim per seipsam partimque per obiecti, cuius est imago transcendentalem veritatem.

35 Respondeo concessio antecedenti, & negata consequentia: ideo namque imago Cæsaris partim colores imaginis intrinsecos, & partim lineamenta ipsius Cæsaris essentialiter complectitur, quia talis representatio, siue assimilatio est vera similitudo prædicamentalis, ac proinde more reliquarum relationum prædicamentaliū in fundamento, & termino consistit: representatio autem cognitionis propria non est similitudo prædicamentalis, & vniuoca inter fundamentum, & terminum, qualitatem videlicet, quæ cognitio dicitur, & eius qualitatibus obiectum: aliàs quò minor esset similitudo prædicamentalis, & vniuoca inter cognitionem & obiectum, eo minus perfectè cognitio obiectum representaret, atque cognitio diuina, quæ est eius maxima dissimilitudo, ac distantia respectu obiecti creati multo minori perfectione, & claritate illud representaret, quam à cognitione creata representatur: quod tamen est euidenter falsum. Adice, cognitionem representare obiectum suum esse, cum non est, videlicet cum cognitio est falsa: tum autem representatio cognitionis quò potest constitui per esse obiecti, quod non datur? Cæterum imago Cæsaris non representat Cæsarem, nisi hic habeat ea lineamenta, quæ ab eius imagine exprimuntur; ut paulò supra aiebam: quamobrem, &c.

36 Obijciunt tertio aduersarij, pro priori earum sententiarum, quas capite præcedenti profligauimus, Aristotelem

Aristotelem ei fauere lib. 3. de anima capite 5. ubi sic inquit; *Scientia autem ea, quae est actus, est idem quod res.* At haec identitas scientiae actualis cum re scita defendi nequit, si sit qualitas realiter adaequatè distincta à re scita, ac per hanc ne ex parte, constituta: necessum ergo est, ut scientia praeter qualitatem immanentem inuoluat intrinsecè rem scitam, ac per eam inadaequatè saltem constituatur, ut sic dici possit aliquo modo idem quod res scita: qua ratione in sacris literis homo vocatur absolute caro, & ex consequenti idem cum illa reputatur, propter inadaequatam duntaxat cum carne identitatem.

37 Respondeo Aristoteli ubi supra non esse sermonem de identitate physica, & propria, ita enim verisimilitudinem haberet aliquam argumentum factum, sed de identitate intentionali, & impropria seu metaphorica: haec autem facta recta manet, tamen si scientia realiter adaequatè distinguitur à re scita, & hanc ne inadaequatè includat: licet enim dissimilitudo physica, & propria inter scientiam & obiectum cohaeret cum utriusque perfecta similitudine intentionali impropriae nec haec tollit minuitve illam, aut è conuerso; sic etiam identitas intentionalis, & late sumpta inter utrumque haud potest tollere, quominus physice, ac proprie loquendo adaequatè distinguantur, nec se inuicem villo modo includant.

38 Quod autem non de identitate physica, & propria, sed de intentionali, & impropria sermo sit Aristoteli, constat ex eiusdem libri tertij de anim. cap. 8. ibi: *Atque scientia quidem est res ea quodammodo, quae sub scientiam cadunt, sensus autem ipsa sensibilis.* Quo loci vocula, quodammodo, identitatem, de qua loquitur, impropriam, & adumbratam esse satis demonstrat. Hac eadem ratione explicandus est Aristoteles eodem libro 3. capite 4. ibi: *Atque intellectus potentia quidem est quodammodo intelligibilia ipsa, actu vero nihil est eorum antequam intelligat ipsa.* Et paucis interpolitis: *Est etiam intelligibilis & ipse & intelligibilia cuncta: nam in hisce quidem, quae sine materia sunt, intelligens, & id quod intelligitur idem est: etenim idem est contemplativa scientia, & id quod ita sub scientiam cadit.* Atque haecenus prima ad Aristotelem responsio. Dici etiam ulterius potest, nihil eum aliud voluisse, quam scientiam esse idem cum obiecto formaliter & in esse obiecti sumpto, quia nimirum obiectum in ratione obiecti siue cogniti per ipsam scientiam constituitur. Quare etsi Philosophus loquatur de identitate physica, & propria, cum tamen eam non admiserit, etiam inadaequatam inter scientiam, & obiectum in esse rei, sed in esse obiecti, sanè aduersariis parum, aut nihil fauet.

39 Qui sequuntur sententiam Gotfredi capite superiori secundo loco relata, & reiectam obiciunt, intelligere esse quoddam pati, seu recipere, iuxta Aristotelem lib. 3. de anima capite 4. textu 2. intellectio ergo consistit in passione quadam, seu receptione speciei impressae, & intelligibilis. Nec refert; inquit, quod intellectum intelligere significetur nomine actionis: nihilominus enim potest esse re ipsa passio, qualis explicata est: haud secus ac obiectum intelligi significatur nomine passionis; & tamen est vera actio, qua obiectum intellectioem, seu cognitionem sui in intellectu mediatè, vel immediate causat. Respondeo: licet intelligere sit quoddam pati, nec voce tenus, sed re ipsa, unde tamen colligunt aduersarij intelligere esse pati speciem

impressam, & non potius expressam ea posteriore, ab eaque causatam? Adde secundo, non omne intelligere iuxta Aristotelem esse quoddam pati, sed tantum intelligere passiuum iuxta illum in passione esse positum: de quo infra.

Arguunt secundo aduersarij ab Auctoritate Augustini libro 11. de Trinitate, capite 2. ibi: *Nullo modo tamen eiusdem substantiae est corpus, quo formatur sensus oculorum, cum idem corpus videtur, & ipsa forma, quae ab eodem imprimatur sensui, quae visio vocatur:* quibus verbis formam, seu speciem impressam sensui visionem Augustinus perspicue appellat. Deinde ibidem inferius sic prosequitur Augustinus: *Illam tamen informatio sensus, quae visio dicitur à solo imprimatur corpore, quod videtur, id est, à re aliqua visibili, quae detracta, nulla remanet forma, quae inerat sensui, dum aderat illud, quod videbatur.* His etiam verbis speciem à solo obiecto impressam, ac productam, & non nisi receptam in sensu sensationem Augustinus appellat. Tandem non longè infra idipsum repetit in haec verba: *Tria haec quamuis diuersa natura quemadmodum in quadam unitatem contemperentur, meminerimus: id est, species corporis, quae videtur: & impressa eius imago sensui, quae est visio, sensusve formatus: & voluntas animi, quae rei sensibili sensum admovent.* Ac paucis intercalis: *Cum igitur horum trium tam diuersae substantiae sint, tamen in tantam coeunt unitatem, ut duo priora, vix intercedente indidice ratione, discerni valeant: species videlicet corporis quod videtur: & imago eius, quae fit in sensu, id est, visio.*

Respondeo, Augustinum aut in contraria opinione fuisse; aut non ex propria sententia loquutum esse, sed potius ex Platoniorum opinione, qui cognitionem omnem per similitudinem vniuocam rei cognoscentis, & cognita fieri arbitrabantur; aut demum non de visione actuali, siue in actu secundo, sed de sola visione in potentia, & actu primo sermonem ei fuisse: atque hac ratione eum interpretatur Capreolus ubi supra: qui etiam plura alia argumenta pro sententia Godofredi proponit, ac rectè soluit.

CAPVT V.

Alia tres sententiae de essentia intellectiois proponuntur, ac profligantur.

42 **Q**uarta sententia de essentia intellectiois est, eam esse actionem immanentem absque villo termino per illam producto P. Hurtadus disput. 16. metaphys. sect. 1. subsect. 1. cum aliis multis arbitratum ita philosophari Thomistas non paucos: at eos à tam absurda sententia vendicat Aegidius tom. 1. de beatitud. lib. 4. q. 2. art. 3. n. 4. Quorumcunque tamen sit, quod sit manifestè falsa suadet. Implicat enim cognitionem aliquam intellectus existere, quin aliquid per eam cognoscatur, aut volitionem aliquam inesse voluntati, quin aliquid per eam sit volitum, amatumve parique ratione repugnat, vnionem vllam physicam dari absque eo quod denominetur quidpiam per eam vnitum, aut qualitatem quandam, vel quantitatem in rebus existere sine eo quod per illas aliquid quantum, aut quale dicatur, aut certe possit dici: similiter ergo repugnabit actio, per quam terminus aliquis, vel distinctus, vel saltem indistinctus non agatur.

43 Confirmatur, & declaratur. Actio est id quo causa aliquid